



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exhortationes|| Ad|| Religiosos

Dirckinck, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1704

2. De præstantia virtutis, præ doctrina & douis naturalibus. Thema. Quæ de sursum est sapientia, plena est misericordia & fructibus bonis. S. Jacobic. 3.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51834)



## EXHORTATIO II.

Demonstrat majus momentum esse in virtute & spiritualibus,  
quàm in doctrina ac donis naturalibus;

T H E M A.

*Qua de sursum est sapientia; plena est misericordiâ & fructibus bonis. Epist. S. Jacobi cap. 3. 17.*

V E L

*In hujusmodi majus momentum, quàm in doctrina vel aliis donis naturalibus & humanis constitutum esse ducant. Reg. 16.*



**D**E S. Abbate Gelasimo refert, in anno cœlesti, ad diem decimum Martii Joannes Nadasi: quòd, cum pro eleemosyna larga sibi allata, Psalmum *De profundis* recitasset, atque eleemosynæ largitor risisset, aurum submissum in bilance hinc, & inde in chartula exaratum Psalmum *De profundis* appenderit; & bilancæ chartulam longè majoris ponderis præ pecunia, esse demonstravit. Non impari modo; si & nos cuncta naturæ artisque dona, cum supernaturalibus, ac spiritualibus in justa æternitatis bilance appenderimus, hæc illis

longissimè præponderare deprehendemus. Duplex reperitur in hominibus sapientia & prudentia: una est naturalis, terrena ac humana; alia supernaturalis, cœlestis, ac divina: utriusque meminit S. Jacobus in Epistola sua Catholica c. 3. 17. Dum hanc nuncupat sapientiam, quæ de sursum est, illam verò, quæ de sursum non est. *Sapientia quæ de sursum est, inquit, est pudica, modesta, plena misericordiâ, & fructibus bonis: quæ de sursum non est, ab eo vocatur terrena, & si contentiones, rixasque pariat, & cum superbia aliisque peccatis sit conjuncta, animalis & diabolica.* Prima omnis generis scientias naturales & artificiosas complectitur; ut Grammaticam, Poësin, Rhetoricam, Philosophiam, politicam,

Ss 3 expe-



experimentalem & conversativam, atque his annexa dona naturalia, ingenium felix, iudicium acre, vires corporis, vocem canoram, eloquentiam & similia. Secunda pietatem, religionem, virtutem, charitatem, zelum animarum, aliisque ad perfectionem spectantia continet, & his annexa exercitia spiritualia, ut meditationem, examina, lectionem piam, cognitionem rerum asceticarum &c.

De utraque S. Ignatius, cum Patribus sanctis, bina tradit axiomata tanquam præclarissima vitæ activæ fundamenta. 1. In hac secunda sapientia, usum momentum esse, quàm in prima & donis naturalibus. 2. Causam ejus assignat, eò quod hæc interior sit & spiritualis, ex qua omnis vis & efficacia ad illa dimanat. Quod ut ad oculum pateat, utranque ad libellam revocemus, ac trutinemus.

I.  
In vitæ  
maius  
momen-  
tum quàm  
in doctri-  
na & do-  
nis natu-  
ralibus.

1. Axioma primum, vitæ activæ directivum est sequens. *In ejusmodi spiritualibus, majus momentum, quàm in doctrina, vel aliis donis naturalibus & humanis constitutum esse ducant.* Constat documenti hujus veritas, luculentius à clariùs, si utranque sapientiam cum commodis & emolumentis, ad æternitatis stateram appenderimus.

1. De sapientia ac scientia naturali, si penitus inspexerimus, merito dixerimus, quod Jeremias Propheta c. 17. de homine, in homine confidente asserit: *Erit quasi myrica in deserto (alii vertunt ericæ) & non videbit, cum venerit, bonum (scilicet pluviam) sed habitabit in siccitate, in deserto, in terra sal-*

*fugini & inhabitabili.* Omnis scientia & sapientia naturalis ac terrena, sterile, quid est, nisi erica & solum sterile? Quid est nisi myrica in deserto: quæ nec gratiæ diviniæ pluviam irrigatur, nec fecundatur, nec fructus gloriæ æternæ dignos profert? Ex adverso autem sapientia cœlestis, virtus, perfectio, &c. quidquid eò pertinet: quid est nisi laurus semper vernans? Quid est nisi lignum, ut ait Jeremias L. c. *quod transplantatur secus aquas, & quod ad humorem mittit radices suas, & in tempore siccitatis, non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructus.* Semper enim ejusmodi sapientia ad gratiæ diviniæ humorem mittit radices suas, & vinum germinandi, ac mereodi fugit; nec siccitatem, seu defectionem gratiæ, virtutis, opis & auxilii aliquando metuet, nec sterilitatem patietur, sed fructus bonorum operum nunquam non progerminabit.

2. Sed demus doctrinam, sapientiamque naturalem, iustarum myricarum, fructus nonnullos proferre; eos tamen in comparatione sapientie supernaturalis, si ad trutinam examinemus, omnino leves, asperos, caducos ac perituros esse reperiemus. Primum quidem illa parit divitias, pecunias, ac bona terrena, officiis lucrosis comparanda. At hæc quàm vanâ sint & momentanea, deprehendent filii hujus sæculi, a fine vitæ suæ, quando cum perditis illis lamentabuntur: *Divitiarum jactantia quid contulit nobis? Sap. 5.* Versâ, vera sapientia, virtus, pietas, perfectio, fructus parit æternos, merita infinita, thesauros in cœlo immensos, &c.



& nunquam perituros. Ut testatur Salomon Sap. c. 7. *In finibus enim (Sapientia) thesaurus est hominibus, quo quisque non est, participes facti sunt amicis Dei. Ideoque divitias nihil esse duxi in comparatione illius; nec comparavi illi lapidem preciosum; quousiam omne aurum in comparatione illius, arena est exigua; & tanquam lutum; estimabitur argentum, in conspectu illius.* Constat quantum majus momentum, pretiumque huius sit, præ illius.

3. Doctrina, scientia, ac prudentia naturalis, confert honores, dignitates, ac Prælatorum munia: de quo intelligi potest illud Salomonis Sap. 8. *Habeo propter hanc claritatem apud turbas, & honorem apud Seniores juvenis.* Verum quid in illa die hæc claritas, & hic honor emolumenti pariet? quando superbi oculos aperient, omnia evanuisse cernent, & lamentabuntur: *Quid profuit nobis superbia? Quid laus & gloria mundi? Transferunt omnia illa tanquam umbra.* Sap. 5. E contrario autem sapientia vera, cum virtute, cum timore & amore Dei conjuncta, verum confert honorem, laudem perpetuam, claritatem non solum apud turbas & mundum, sed vel maxime apud Deum & Sanctos; quod clarè cognoscunt impii in die iudicii; quando exclamabunt; Sapientiam suam terrenam, tanquam stultitiam damnantes: *Nos insensati vitam illorum sine honore: ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter Sanctos sanctorum est?* Sap. 5. An non igitur hæc merito, majoris momenti

esse censemus & cum Salomone *proponimus regnis & sedibus, seu thronis Regum & Principum, omni que illorum gloria?*

4. Doctrina, scientia ac prudentia humana nonnullam voluptatem, jucunditatem & felicitatem parit, sed transitoriam; non perpetuam salutem ac beatitudinem. Quid non moliti sunt veteres Sapientes ac Sophi, ut quam in ea locatam, falsò rebantur, felicitatem assequerentur? Pythagoræ, ut refert D. Hieronymus L. 2. adversus Jovinian. fugiebant urbium & hominum frequentiam, & hortos suburbanos, ubi ager aquis irriguus, & arborum comæ, & suffusus avium, oculorumque illecebræ, ne luxu & abundantia copiarum animi fortitudo mollesceret & à sapientiæ studio avocaretur. Platonici & Stoici in porticibus versabantur: Plato ut Philosophiæ intentius vacaret, Academiam villam ab Urbe remotam ac desertam elegit. Crates Thebanus non exiguum auri pondus in mare abiecit: Quidam oculos sibi effodere, ne visu à contemplatione Philosophiæ abstraherentur. Et quid nisi umbram veræ sapientiæ sectabantur? Quibus illud Apostoli merito applicetur: *Dicentes ( & credentes) se esse sapientes, stulti facti sunt.* Vera autem scientia & sapientia Sanctorum, è contrario, veram lætitiæ pacem, & animi tranquillitatem, & conscientie jubilum in hac vita parit: *Non enim habet amaritudinem conversatio ejus, nec tedium convictus illius, sed lætitiæ & gaudium.* Sap. c. 8. Et altera vitæ beatitudinem & felicitatem æternam:



æternam: *fusti enim in perpetuum vi-*  
*vent, & apud Dominum est merces eo-*  
*rum, & cognitatio illorum apud Altissi-*  
*imum; ideo accipient regnum decoris &*  
*diadema speciei de manu Domini.* Sap.  
c. 5. dum inter a à vera sapientia &  
virtute alieni ejulabunt & plorabunt:  
*Ergo erravimus a via veritatis & justi-*  
*tias lumen non illuxit nobis.*

Ex quibus omnibus utrimque ritè  
ad stateram æternitatis, expensis, clarè  
liquet, majus, imò infinitè gravius mo-  
mentum esse in virtute, perfectione, ve-  
ràque sapientia, quàm in omni scien-  
tia & prudentia naturali & humana,  
ac proinde illam longè pluris esse esti-  
mandam, uti & media ad illam. Ex  
quo nullo negotio inferimus; primas  
laudandas esse virtuti, secundas doctrinam:  
nunquam à nobis omittendam aut de-  
currandam esse meditationem, ut in-  
veniamus tempus pro studiis: nun-  
quam prætermittendum conscientie  
examen, aut libri spiritualis lectio-  
nem, ut pro studio Poëseos, Rhetori-  
ces, aut Philosophiæ, plus otii nan-  
ciscamur. Lumen Theologorum Fran-  
ciscus Suarez malebat omnem scien-  
tiam suam amittere, quam vel unicam  
horam meditationis.

II.  
Ab inter-  
nis virtuti-  
bus vis ad  
exteriora  
dimanat.

II. Alterum axioma, à S. Ignatio  
pariter assignatum ceu basin vitæ acti-  
væ; & causam prioris est istud: *Ista*  
*enim spiritualia & interiora sunt; ex*  
*quibus efficaciam ad exteriora promana-*  
*re, ad finem nobis propositum oportet.*  
Ut clariùs id quoque elucescat, exte-  
riora hæc & interiora, & utrorumque  
efficaciam in bilance rationis, libere-  
mus. Scientiæ artes, doctrina, experi-

entia, eloquentia, aliæque dona ac ta-  
lenta naturalia, sunt veluti corpus; si  
desit virtus & perfectio, corpus est sine  
anima. Corpus autem sine anima quid  
efficiet? *Spiritus est, qui vivificat;* ut  
Apostolus 2. Corinth. 3. 6. nimirum  
spiritus gratiæ, spiritus charitatis, spiri-  
tus zeli, dat vitam, motum & effica-  
ciam ad omnia; sine quo actum agi-  
tur, ac æthiops lavatur. Faciamus o-  
nim omnigenæ scientiæ panopliam  
instructum esse, omnibùque natura  
talentis ornatum, quæ Oratori neces-  
saria sunt; ut canorâ voce, soluti lin-  
guâ, laterum firmitate, facundiâ sin-  
gulari, ita ut ipsummet Tullium aut  
Demosthenem longè antecellat; si ta-  
men desit vera sapientia, virtus, zeli  
& charitatis spiritus; animam nullam  
convertes: nam *Spiritus est, qui vivifi-*  
*cat;* à quo efficaciam ad exteriora  
promanare oportet.

Eruditissimus Cardinalis Bellar-  
minus de ascens. mentis c. 6. affirmat  
in magnis Italiæ Urbibus, in quadra-  
gesima, triginta aut quadraginta Or-  
ratores cathedram concendere, in-  
dièsque perorare ad populum; & ta-  
men finito quadragesimali jejunio,  
eadem vigere in populo scelera, & vix  
ullam subsequi emendationem: cas-  
samque hujus miseriæ indagans, in-  
terrogat: estne fortassis defectus stu-  
dii, aut præparationis ad concionem?  
Respondet, nequaquam, sunt enim ut  
plurimum viri doctrinâ & eloquentiâ  
præstantissimi, atque ad ravim usque  
declamant, summâ vocis & laterum  
contentione. Ubinam igitur defectus?  
reponit Bellarminus, esse defectum  
charitatis.



charitatis, fervoris, zeli, virtutis ac perfectionis, quæ animare debet factum Ecclesiasten; sine quibus verba funduntur inania; aures feriuntur non corda, inftar bombardæ globo carentis.

Omnis scientiæ, ac dona naturalia, veluti arma sunt, quibus viri Apostolici animarum arcès à peccatis & hostibus stygiis obsessas expugnant; ac ubi à virtute, spiritûque divino amentur, non modo non juvant ad pugnandum pro gloria Dei & animarum salute; verum etiam obstant; & obstacula ponunt: non tantum non ædificant, sed etiam destruunt, & inimici Christi opem ferunt, dum superbia, inanis gloria, fastus, ambitio, aliæque vitia proximo scandalum præbentia sese prædant & exerunt, cum in animarum venatoribus, nil nisi exempla virtutum, relucere oporteret. Itaque licet haberes fundamplius Davidis, nisi etiam possideas, vires, fiduciam in Deum, spiritum & generositatem Davidis, vade ad caulas ovium, noli progredi in certamen cum stygio Goliatho: parum juvat lapides esse rotundos, lucidos, ex torrente Cedron depromptos; fundam esse duplicatam, optimè contextam; quia nil habeas brachium Davidis, loco percussoris inimici arca Domini, ipsum prosterne Samuelem tabernaculi custodem: ita ut religio ipsa, quæ inftar papilionis à Deo pro defensione Ecclesiæ posita, ab armis tuis in terram detrudenda sit & destruenda. Provide igitur tibi de spiritu, de virtute, perfectione & zelo, sine qui-

bus, ullum te animarum fructum facturum despera.

E contrario ubi vera cœlestis sapientia, vera charitas ac zelus animarum in Ecclesiaste sacro cernitur, fervet & accenduntur omnia, atque in melius commutantur: quod quemadmodum ego ad nostros dicens, exemplis ex Historiis Societatis depromptis stabilio, ita ex alio Ordine, suæ religionis exemplis, ut S. Francisci Seraphici, S. Dominici, S. Vincentii Ferrerii, S. Bernardini, aliorumque, nullo negotio comprobabit.

Stupenda sunt, quæ in elogiis & gestis primævorum Patrum nostrorum de vi admiranda sermonis & concionum legimus. Unde obsecro efficaciam sermonis tanta in P. Jacobo Lainio, ut pro miraculo haberetur, & ubicunque prædicaret, Civitates, Magistratus ac Domini excitarentur ad fundanda Societati Collegia, ut accidit Florentia, Pisis, Venetiis, Patavii, Genuæ, Pannoni. Et dum Genuæ pro concione dicens excitaret Auditores ad misericordiam in pauperes exercendam; Mercatores & Cives in una concione mille, in alia mille trecentos, in tertia bis mille nummos aureos sive ducatos, in subsidia egenorum conferrent? Non aliunde sanè nisi à virtute & perfectione interiore, à spiritu zeli, fervoris & charitatis igneo, quo omnes inflammabantur. Unde tanta sermonis energia in P. Sylvestro Landino, ut ubicunque concionaretur, tantus esset fructus pœnitentium & affluxus, ut plurimi accersendi essent Sacerdotes, qui cum ipso occupatissimi forent, in

T c exho-



exhomologibus excipiendis; & Carregium civitatem à triginta annis maxime diffidiis civium turbatam, & quinque ac quadraginta hominum caede fœdatam concionibus suis ita moverit, ut cives in templo palam reconciliati, non sine copiosis lacrymis in mutuos amplexus ruerint? Tann. p. 49. Non aliunde nisi ex spiritu ardoris & charitatis. Unde efficacia tanta Patri Alphonso Avila in dicendo, ut nullum Hispani, Granata & alibi templum caperet Auditores, sed in campo dicendum foret, omnes in lacrymas solveret, indurata peccatorum corda mollescerent, mira que sequerentur animorum conversiones, ut cum de dilectione inimicorum verba faceret; publice exclamarent: Ego remitto parricida homicidium Patris mei: ego matris: ego gravissimas alias injurias? Tann. p. 59. Unde tanta virtus P. Edmundo Augerio insigni Ecclesiastæ Gallo, ut aliquando quadraginta Auditorum millia numeraret, & converterit ad fidem supra quadraginta millia hereticorum, & quadraginta Ministros? Tann. p. 237. Unde tanta efficacia P. Sebastiano Barradio, ut Anno 1592. Conuimbricæ, de rebus novissimis & mundi vanitate. ardore cœlesti plenissimas habens conciones, ex academia nobiles & excellentis ingenii juvenes ad sexaginta in Ordinem S. Francisci simul suscipi flagitarent? Quorum tantam importunitatem admiratus Monasterii Guardianus, Rectorem Collegii conveniens dixerit: vel non esse P. Sebastianum ulterius ad pulpitem admittendum; aut certe So-

cietati suscipiendam, tot juvenum religionem suam certatim ambientem curam; siquidem tot suscipiendos sustentandis domos sua minime proforet. Tann. p. 466. Taceo P. Villanovam, P. Palmam, & alios, quos plurimos, quorum in exhortando energia & vigor, non aliunde, quam ex interiore spiritu & ardore charitatis proficiscebatur.

Quapropter, Charissimi, appetit & examinatis in bilance aternitatis utriusque sapientia, naturalis & supernaturalis fructibus & emolumentis, omnino disparibus, & intervallo infinito distantibus, bina antedicta, S. Ignatii apophthegmata, & axiomata vera Philosophia, sive vita religiosa mixtæ fundamenta, altissimè metibus nostris imprimamus, & secundum ea actiones ac studia nostra omnia dirigamus. 1. In spiritualibus *magis momentum esse quam in doctrina, & aliis donis naturalibus & humanis.* 2. *Ex illis tanquam interioribus, efficaciam ad exteriora promanare.* Quare nunquam illa his postponamus: nunquam ob amorem scientiæ humanae spiritualia negligamus: nunquam meditationem, examen Libri asceticæ lectionem, decurtemus, aut prætermittamus, ut Poëcos, eloquentia, aut Philosophiæ studiis diutius vacemus. *Amate scientiam, sed anteponite charitatem,* ajebat D. Augustinus: Et S. Bonaventura in Spec. Discipl. c. 7. *Scientia qua præ virtute despicitur, per virtutem postea melius invenitur.* Præclare quoque S. Petrus Damiani in Euchiridio c. 1. *In animo tuo scientia secularis,*



Secularis, tanquam in ima mentis calce repleti divino spiritu merearis: ex  
 substat: amor vero aeterna vita & spi- quo, in omnes actiones & sermones  
 ritualis studium sapientia, vel in summa nostros prorsus singularis efficacia &  
 cordis tui constitutus arce precellat; ut energia dimanabit.

## EXHORTATIO III. IN REGULAM XVI.

Quanam sint virtutes solidæ viris Apostolicis necessariae.

T H E M A.

*Inuite vos armaturam Dei, ut possitis stare adversus insi-  
 dias diaboli. Ad Ephel. 6. 11.*

V E L

*Omnes in virtutum solidarum ac perfectarum studium incum-  
 bant. Reg. 16.*



Viri Apostolici, omnino com-  
 pertum habe-  
 ant, se Athletas,  
 pugiles & Chri-  
 sti militiz, tan-  
 quam Duces &  
 Antesignanos  
 adscriptos esse, qui cum vitis & dæ-  
 monibus in campum prodire ac dimi-  
 care debeant: ut disertè innuit Apo-  
 stolus ad Ephel. 6. 12. *Quoniam non  
 est nobis colluctatio adversus carnem &  
 sanguinem: id est, ut vertit S. Hiero-*  
 nymus & Theophylactus, adversus  
 homines carne & sanguine constan-  
 tes; sed adversus Principes, & Potesta-  
 tes, adversus mundi rectores tenebrarum  
 harum; id est, ex mente ejusdem Hie-  
 ronymi, adversus spiritus, seu dæmo-  
 nes, neque solum ex infimo ordine; sed  
 etiam ex ordine Principatum, Potestatum,  
 & Dominationum. *Contra spi-  
 ritualia nequitia in cælestibus. Id est  
 contra spirituales nequitias, versutias  
 & malitias; seu nebulones nequissi-  
 mos in cælestibus: sive in aëris hisce  
 locis versantes.*

T t 2 Cùm